DISPUTATIO MEDICA

INAUGURALIS

DE

USU AQUÆ FRIGIDÆ

IN FEBRIBUS.

12

DISPUTATIO MEDICA
INAUGURALIS
DE
USU AQUÆ FRIGIDÆ
IN FEBRIBUS;

QUAM,

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

EX AUCTORITATE REVERENDI ADMODUM VIRI,

D. GEORGII BAIRD, SS.T.P.

ACADEMIÆ EDINBURGENÆ PRÆFECTI;

NECNON

AMPLISSIMI SENATUS ACADEMICI CONSENSU, ET

NOBILISSIMÆ FACULTATIS MEDICÆ DECRETO;

PRO GRADU DOCTORIS,

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS

RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS;

ERUDITORUM EXAMINI SUBJICIT

DANIEL THOMAS MALLONEY,

BARBADENSIS.

VIII. Calendas Julias, horâ locoque solitis.

" —— *Hunc lenire dolorem*
" *Possis, et morbi magnam deponere partem.*"
HORAT.

EDINBURGI:

EXCUDEBANT ADAMUS NEILL ET SOCII.

1805.

AMICO SUO EXIMIO,

JACOBO GOODRIDGE,

ARMIGERO;

OMNIBUS VIRTUTIBUS

QUÆ VITAM EXORNANT

INSIGNITO;

HOCCE QUALECUNQUE OPUSCULUM,

PROPTER PLURIMA BENEFICIA

IN EUM COLLATA,

NUNQUAM OBLIVISCENDA,

ANIMI OBSERVANTISSIMI

EXIGUUM PIGNUS,

D. D. DQUE

DANIEL THOMAS MALLONEY.

DISPUTATIO MEDICA

INAUGURALIS

DE

USU AQUÆ FRIGIDÆ

IN FEBRIBUS.

MEDICI recentiores, posthabitis conjecturis quæ de natura febrium olim invaluerunt, et quæ plerumque ratione parùm validâ innixæ, nil ferè adjumenti, quod usus comprobavit, in hoc genere morborum sanando attulerunt, viam feliciorem ingressi sunt, et, experientiâ sanâ edocti, multa protulerunt

quæ inter vera scientiæ incrementa facilè annumerantur: huc præprimis spectat præstantissimum istud remedium *LAVATIO FRIGIDA*, quæ paucis solummodò abhinc annis proposita, latissimè nunc evulgata et summo cum beneficio usurpata est. Usus aquæ frigidæ in febribus medendis antiquos minimè latuisse videtur; et etiam apud HIPPOCRATEM, GALENUM, et CELSUM, medicinæ conditores, obtinuit.

Centum vix effluxerunt anni ex quo, sub medicis qui artem salutiferam in Hispania et Italia exercuerunt, fama hujus remedii, sub nomine *diætæ aqueæ*, latè percrebuit; et apud Britannos, Dr HANCOCK opusculum edidit, in quo laudes ejus commemorat, et *febrifugum magnum* haud immeritò appellavit.

Utcunque autem hoc erit, medici, erroribus theoreticis impliciti, usum aquæ frigidæ diu deposuerunt.

deposuerunt. Nil magis ad hoc contulit quàm opinio quæ a BOERHAAVIO perceleb. de causa febrium amplexa est, quæ, auctoritate tam gravi suffulta, diu apud medicos invaluit. Hic enim auctor gravissimus, insolitam sanguinis spissitudinem in febribus adesse contendit, quæ diluentibus calidis oppugnanda esset, et sanè medendi ratio quæ ad hanc ferè diem medicis maximè peritis probata est, parcum vel nullum aquæ frigidæ usum in febribus admittit; nec mirum est, si medici auxilium ex hoc remedio petere recusârunt, cùm, imperitè adhibitum, tantas noxas inferre potest, et reverà intulit. Hoc satis perspexit CULLENUS, qui etsi febre detentos aëri frigido exponi jubet, quà vim *reactionis* temperare solet, aquam frigidam nihilominùs cautissimè usurpavit, et ad ablutionem superficiei corporis confugere non ausus est.

Etsi, igitur, medici remotiores ad usum hu-

jus remedii nonnunquam decurrere solent, hisce temporibus in desuetudinem omninò abiît; et hoc validissimum remedium apud hodiernos receptum esse, Doctori GULIELMO WRIGHT debemus; qui, dum ex insula *Jamaica* redibat, *affusionem aquæ frigidæ* in se experiri primùm aggressus est, et cum felicissimo eventu; omnibus enim aliis infeliciter tentatis, typhum graviorem quo conflictabat, aspersione aquæ marinæ liberâ, brevi depulit. Exemplum quo primùm traduntur effectus hujus remedii, quod tanta beneficia humano generi pollicetur, hìc citare haud alienum erit.

" Secundo morbi die emeticum lene, et proximâ mane decoctum tamarindorum assumpsi; tempore somni opium cum vino antimonii conjunctum; hoc autem somnum nequaquam conciliavit, neque sudorem elicuit. Cùm nulla inflammationis signa adfuerunt, drachma

drachma corticis Peruvianæ omni horâ, per sex horas, assumpta est; et subindè cyathus vini, nullo autem cum beneficio. Cùm in celsa puppi fui, dolores mitiores fuêre; et quò frigidior aër, eò melius. Cùm ad hoc animum adverti, omnibus aliis incassùm tentatis, id in memetipsum experiri, quod sæpè aliis simili modo laborantibus adhiberi exoptabam, consilium cepi. Nono igitur die Septembris, circa tertiam horam pomeridianam, omnibus vestibus priùs exutis, ad superiorem partem navis ascendebam, et ex tribus haustris aquâ marinâ plenis simul corpori affusis graviter afficiebam: signa autem mali mox mitescere incipiebant: Dolor capitis, et alii quoque dolores, statim remiserunt, et sudor lenis profluebat; vespere autem signa febrilia revertere minata sunt; iterum igitur ad hoc remedium confugi, et cum eodem felici eventu: cibum nunc appetebam, et nocte placidè dormiebam. Decimo Septembris die, nulla fuit febris, sed molestia

lestia quædam in poplite et femoribus; affusione frigidâ bis usus sum. Undecimo, omnia symptomata disparuerunt; ne autem morbus recrudesceret, bis frigidario usus sum *."

Ex tempore quo effectus hujus remedii eximii innotuerunt, exempla quamplurima in medium medicis dignissimis prolata fuêre, ubi summa beneficia ex affusione aquæ frigidæ profluxerunt. Præ omnibus autem, Doctor Currie, ingenio et literis clarus, maximas meretur laudes, propter attentionem quam huic rei impendit, ut satis patet ex egregio opere quod edidit, in quo omnia de hoc remedio hactenus cognita dilucidè narrantur, et præcepta accuratissima, propriâ auctoris experientiâ

* "Memoirs Lond. Med. Society," vol. iii.

perientiâ comprobata, de usu ejus, summa cum peritia traduntur.

Ubi igitur et quomodo utendum sit, nunc dicere restat.

In typho, febre, quæ sæpissimê in hisce regionibus sese ostendit, et strages gravissimas edit, affusio frigida omnibus aliis remediis præstare videtur. Non autem omni morbi tempore, vel sub quovis ægrotantis statu, æquè convenit; sunt enim multa quæ usum ejus omninò prohibent, et quæ attentionem assiduè exposcunt.

Si urget sensus frigoris, et corpus inhorrescit, affusio frigida, cane pejus et angue, fugienda est; si enim in hoc statu adhibita fuerit, omnia mali signa subitò ingravescunt, ictus arteriarum multò frequentiùs et debiliùs evadunt; respiratio admodum anxia fit, et tre-

mores

mores occupant artus. Nunquam igitur ad hoc remedium decurrere liceat, si æger frigoris sensum conqueritur, etsi calor corporis, thermometro exploratus, supra gradum sanitati congruum ascendere videtur.

Monendum quoque est, hoc remedium parùm convenire si quædam solummodò corporis partes præter solitum incalescant, dum aliæ frigent; ardent enim sæpè partes internæ, extremis frigescentibus. Etsi autem æger nullum frigoris sensum percipit, si calor normam sanitatis non superat, potiùs nocere visa est.

In exemplis suprà traditis, ubi huic remedio non locus est, nonnulli ad affusionem tepidam confugerunt, eam minimè æquè ad calorem corporis imminuendum valere rati: experientia autem huic adversatur. Doctor Currie enim calorem æquè citò hâc, ac frigidâ, subduci comperit. Tepida enim affusa, evaporatio

poratio ex superficie magis augetur, et vasa sanguifera non æquè incitantur, quò fit ut calor minori copiâ evolvitur: tepida affusio igitur iisdem ferè regulis ac frigida astringitur, et in iisdem casibus adhibere potest; multò autem minùs efficax est: etsi enim signa levare potest, nunquam cursum febris omninò præcidit. In iis quoque febribus, ubi pulmones laborant, et respiratio difficilis est, tepida cum beneficio usurpari potest.

Inter signa quæ affusionis frigidæ usum vetant, perspiratio præsertim annumeranda est, quæ subitò cohibita, si diu perstiterit et copiosæ profusa fuerit, pessimos effectus haud rarò edit. Optimè enim innotuit, sudore liberè manante, corporis calorem brevi plerumque imminui, quod evaporationi auctæ è corporis superficie haud dubiè tribuendum est.

Multa enim docent, naturam hoc modo

præprimis semet ex calore liberare, si quavis ex causa ultra modum increverit: et ratio quare animalia temperiem parùm immutatam servant, etsi calori multùm supra gradum solitum adaucto objecta fuêre, hac præsertim cardine vertitur: dum enim humor effusus in vaporem convertitur, magnam caloris vim absorbet, et frigus reverà gignitur.

Cùm igitur superficies corporis soluta est et sudor prorumpit, ab affusione frigida cautè abstinendum est; in hoc enim statu, nullus renixus fit, et maximam debilitatem inducere periclitatur.

Leges sub quibus affusio frigida cum fructu usurpari potest, Doctor CURRIE, amplissimâ experientià edoctus, accuratissimè statuit, ullo morbi tempore ad eam decurrere liceat, "*cùm nullus frigoris sensus adest, cùm calor corporis supra gradum naturalem fixus manet,*

et

et cùm perspiratio neque generalis neque copiosa est *."

Quò citiùs ad affusionem frigidam confugitur, eò meliùs: primo vel secundo morbi die adhibita, febrem sæpè omninò solvit; hoc nonnunquam etiam in tertio vel quarto die evenit: cùm autem morbus per tres quátuorve dies persstiterit, antequam admoveatur, rarò finem mali tam citò imponit; tunc temporis affusa signa tamen brevi mitescunt, et paucis plerumque diebus omninò tollitur morbus.

In provectioribus quoque febris stadiis, cùm nulla signa urgent, quæ usui hujus remedii obstant, eo febri subvenire possumus: hoc autem tempore cùm vires maximè infirmantur, et

* CURRIE's *Medical Reports*, vol. i. p. 17.

et calor non ita extorret, cautè adhiberi debet, et frigus non æquè intensum sit oportet, dum æger stimulo quovis grato refocillatur: vinum calidum optimè respondet. In plerisque hujusmodi exemplis corpus aquâ tepidâ aspergere magis forsan proderit, vel cum aceto tepido abluere. Fatendum autem est, ablutionem superficiei corporis aquâ vel frigidâ vel calidâ, quàm affusio multò minùs valere; et, ut Doctor CURRIE monet, non solùm minùs esse efficacem, sed etiam minùs tutam: corpus enim aquam subitò affusam sæpè bene tolerat; dum hæc gradatim admota, haud parùm noceret.

Priusquam ad affusionem frigidam confugere liceat, caloris gradum summâ curâ statuere debemus; et hoc consilio sensibus, rei admodum fallaci, minimè fidendum est: coporis igitur temperiem thermometro accurato explorare convenit, quod iis partibus, quæ aëri non

non objiciuntur, admoveri potest; hinc in axilla vel sub lingua appositum, caloris rationem satis certam reddit.

Quod ad caloris gradus attinet, intra quos aqua *frigidæ* nomen meretur, ex gradu 40° Fahrenheitiani instrumenti, ad 65^{m}, variare potest. Aqua quæ in usu est, vel pura, vel marina, vel cum aceto commixta est.

Aqua marina, vel quæ muriatem sodæ solutum continet, purâ ægrotantibus plerumque gratior est, et diutiùs sine periculo corporis superficiei adhiberi potest; quod stimulo quem præbet sal attribui solet, quò debilitati ex frigore orituræ quodammodo occurritur. In plerisque autem exemplis, ubi hæc non in promptu est, aqua pura satis benè conveniet, et si subitò corpori affunditur, nil mali ex ea timendum est, et effectus optatos utplurimum optimè præstat. Cùm acetum febricitantibus admotum,

admotum, plerumque admodum gratum sit; aqua cum hoc commixta summo cum beneficio sæpè usurpatur.

Affusio frigida omni diei tempore præscribi solet, et sæpiùs iterari, modò urgeant signa quæ usum ejus exposcant: dicitur autem tempore vespertino opportuniùs adhiberi, cùm vis febris ferè exasperatur, et calor ardentior vexat. Etsi ægri affusionem primùm plerumque reformidant, facilè adducuntur ut ei iterum sese subjiciant, postquam levamen quod ex ea oritur semel experti sunt. Utprimùm enim anxietas quæ statim ex usu ejus percipitur sublata est, omnia febris signa in melius verti subindè incipiunt; calor decrescit; arteriarum pulsus se submittunt; dolor capitis et sitis disparent, et leni sudore prorumpente, æger in somnum placidum brevi incidit.

His de usu hujus remedii validissimi memoratis,

ratis, pauca nunc disceptare liceat de modo quo corpus afficit, et de viribus præsertim quibus contra febres tantùm pollet: Quæstio sanè perobscura, diu medicis frustrà agitata, plenam enodationem nequaquam adhuc accepit.

Sunt auctores præclari qui contendunt, vires frigoris in morbis sanandis ex calore corporis imminuto solummodò pendere; et ad hanc opinionem stabiliendam, ad effectus quos in iis morbis edit, ubi calor supra naturam ascendit, provocant; et certè nemo negabit quin frigus hoc modo in multis morbis sæpè utilissimum fiat: res autem non semper tam aperta est, ut hi persuasum habent; et sunt multa quæ longè aliam hujus rationem nonnunquam esse petendam, fortiter suadent; et medici gravissimi de viribus ejus stimulantibus loqui non dubitant, et optimo, ut mihi videtur, fundamento.

Doctor

Doctor CURRIE affirmat, "vim frigoris stimulantem, etsi fugacem, admodum esse vehementem. In torpore convulsionum, cum stimuli debiliores sensum minimè cient, affusio aquæ frigidæ super corpus nudatum, sensus sopitos sæpè optimè exsuscitat, et novam vim generi nervoso impertit. In statu apoplectico, qui fumis mephiticis concitatur, hoc remedium omnibus aliis præstat. Optimè quoque innotuit, canes vaporibus quos *Grotto del Cani* emittit suffocatos, in lacum vicinum immersos faciliùs ad vitam reduci *."

Ex hoc satis patet, quantùm erraverint auctores, cùm de effectibus aquæ frigidæ ex calore solummodò subducto, statuere ausi sunt, nullâ, stimuli quem sæpè corpori impertit, ra-

tione

* CURRIE's *Medical Reports*, vol. i. p. 76.

tione habitâ. Sunt qui frigus effectus tàm contrarios edere posse haud facilè concedunt, et vis effectus stimulantis quam possidere videtur frigus, rationem reddere conati sunt, quæ sententiæ priori, hoc solùm ex calore subducto agere, quodammodo arridet. Habent enim defensores hujus opinionis *incitabilitatem* corporis calore abstracto accumulari, quò fit ut quamprimùm calor solitus iterum admoveatur, corpus hoc stimulo ad actionem solito majorem incitetur. Si autem aliquis justò diutiùs in frigidario immersus manet, tantùm abest ut ullum effectum stimulantem ex eo percipiatur, ut vires multùm sæpè deficiant: secundum autem opinionem quam hi amplexi sunt, *incitabilitas* corporis magis accumulari debet, et actionem ex solito caloris gradu multò vehementiorem edere. Hinc multùm pendere ex modo quo frigus corpori admotum fuerit, manifestum est; et sanè plerique auctores effectus quos in sensus edit omninò neglexerunt:

glexerunt: sensus autem validissimus, quem frigus corpori subitò admotum impertit, acriter sæpè stimulat, et in quibusdam exemplis aliis stimulis anteponi meretur.

Priusquam aliquid proferre liceat de modo quo affusio frigida in febribus pollere videtur, quædam generalia de natura febris obiter attingere necesse erit.

Utcunque auctores medici discrepant cùm signa indivulsa quæ febrem comitantur, et naturam ejus constituunt, definire aggrediuntur, calorem supra gradum sanitatis ferè semper adesse satis consentiunt, ita ut nomen mali ex hoc signo notissimo desumptum est. De nexu autem qui inter calorem adauctum intercedit et signa quibus ingruit febris, maxima dissentio est. Quoniam magna debilitas inter prima febris indicia sese ostendere solet, omnia quæ in progressu mali superveniunt ex hoc

fonte

fonte esse deducenda, medici quidam nobiles contendunt; naturam hujus debilitatis ostendere haud conati sunt; eam autem aliquid proprium habere, ex eo patet, quòd debilitas causis admodum diversis inducitur, nullâ febre concitata.

Quod ad spasmum attinet, qui in corporis superficie adesse videtur, et maximas partes agit, nuperi quidam eum omninò in dubium vocare voluerunt, et superficiem pallidam et collapsam quæ hujus indicium habetur, ad debilem sanguinis circuitum relegârunt, quo fit, ut sanguis non benè in vasa extrema propellatur; dicitur quoque spasmum, viribus Naturæ medicatis referre, quasi corpus mala imminentia prævideret, et motus iis contrarios institueret, omninò ineptum esse. Quæ ex signis quæ in decursu febris eveniunt, vi Naturæ medicatrici, quæ morbo tribuenda sunt, pro certo statuere, admodum difficile est. Sive

autem

autem spasmus ex debilitate oriatur, vel solummodò cum ea copulatur, eum in febribus obtinere, ex multis colligi potest. Si enim superficies pallida quæ in hujusmodi morbis primùm conspicitur, ex mera debilitate originem duxerit, et nulla esset vasorum constrictio, ut primùm actio cordis et arteriarum incitatur, pars tenuior sanguinis ad superficiem deferri debet, et cutem mollem et solutam tenere: hoc autem minimè evenit; spasmus enim obstat.

Si igitur ponamus spasmum in febribus vasa extrema constringere, caloris adaucti qui exinde subsequitur, ratio haud obscura erit. Omnibus enim notum est, liberam per cutem exhalationem, in calore corporis temperando, maximâ vi pollere; et sunt experimenta quæ docent corpus gradum caloris multùm supra proprium impunè sustinere posse, modò perspiratio non cohibeatur. Non dubium igitur

est,

est, quin quodcunque spasmum solveret, calorem quoque nimium reprimeret. Hoc præstare videtur aqua frigida corpori affusa, dum eodem tempore vi quâ totum corpus concutit, nexum signorum morbidum resolvit.

Quod ad usum aquæ frigidæ pro potu in febribus attinet, iisdem ferè regulis astringitur ac affusio frigida; dum corpus enim calore exæstuat, ægris gratissima est, vim caloris temperat, et pulsus minùs frequentes reddit: hujusmodi quoque haustus sudorem sæpè eliciunt, et somnum conciliant; quam affusio autem minùs valent; non enim pro certo constat, febrem his unquam omninò solvi: etiam in initio stadii sudoris, cum beneficio cautè concedi possunt, et perspirationem promovent: si autem liberè et copiosè profluit, evitandi sunt; haustus enim aquæ frigidæ tunc propinati, rigores insolitos et summam debilitatem inducunt. Raro autem aquæ frigidæ potum liberè

præbere

præbere in febre necesse erit; utcunque enim sitis urgeat, affusione optimè plerumque tollitur.

Ex jam dictis satis patet quantùm erraverint auctores qui periculum ex aqua frigida, vel superficiei corporis admota, vel intùs assumpta, calori corporis adaucto pro rata respondere habuerunt: huic enim ferè contrarium reverà obtinere videtur; liquidò enim constat, frigidam extrinsecùs vel intùs adhibitam, eò ferè esse tutiorem quò magis corpus anteà incaluerit, modò calor perspiratione non auferri incipit. Hoc exemplis undique allatis ultra dubium posuit Doctor Currie.

Hinc etsi calor, modico exercitio, ultra normam solitam ascenderit, si perspiratio non copiosa fuerit, et vires non defatigantur, immersio in aquam frigidam periculo omninò vacat; et sæpè in hoc statu renixus fit, quò debilitas aliter

aliter ex frigore subsecutura optimè precaveatur. Sic enim monet Doctor CURRIE: "Opinio vulgò recepta, homines, dum corpus minimè calet, in aquam tutiùs sese immergere, fundamento parùm valido nititur, et malos effectus nonnunquam induxit. Homines enim calefacti, et in quibus sudor profluere incipit, sæpè morantur donec frigiduli fuerint, et tunc semet in aquam projicientes de subito horrore non sine periculo conqueruntur. In hisce exemplis periculum ex corpore nimis calefacto oriri habetur; meliori autem ratione, corpori nimis frigido tribuendum est *."

Nec affusio frigida in febribus puris solummodò remedium eximium invenitur; in quibusdam febribus, quæ eruptione super cutem stipantur, maximè valet, et præsidium utilissi-

mum

* CURRIE's *Medical Reports*, vol. i. p. 112.

mum est: ad eam enim in variola, et præsertim in scarlatina anginosa, summo cum beneficio decurritur.

In Variola, beneficia quæ ex aëre frigido profluunt, affusioni viam quasi sternunt; et multa experimenta eam in febre eruptiva usurpatam, morbum mitiorem reddere docuerunt. In variola insitiva, morbus plerumque ita levis est, ut hoc remedio vix egeat: cùm autem epidemicè grassatur, et febris eruptiva vehemens apparet, cum maximo fructu ad affusionem frigidam confugere possumus.

In Scarlatina anginosa, effectus qui ex hoc remedio tempestivè adhibito profluxerunt, notatu dignissimi sunt, exitum enim morbo felicem sæpissimè imponit. De natura hujus mali diu lis fuit, vel potiùs de discrimine quod inter id et Cynanchen malignam intercedit: hos autem morbos gradu solummodò differre

consentiunt

consentiunt medici nunc ferè omnes, et exempla utriusque ex eodem contagio provenientis hoc forsan ultra dubium posuerunt: nec magis discrepant, quàm variola *discreta* ex *confluente* variat.

Medici olim frigus cautè admodum adhibuerunt in iis morbis qui eruptione comitantur; naturam enim hoc morbo semet ex materia nociva liberare persuasum habuerunt, quæ frigore corporis superficiei admoto, iterum non sine injuria repelleretur: hanc autem opinionem omninò esse ineptam, effectus maximè felices qui ex frigore proficiscuntur planè demonstrârunt.

Scarlatinâ anginosa ingruente, usitatæ pyrexiæ signa sese ostendunt; æger inhorrescit, et de dolore capitis, nausea et vomitu conqueritur; brevi calor ardens per totum corpus se diffundit, et superficies vividè rubet, cum fau-

cium raucedine: tunc ad affusionem frigidam promptissimè confugere debemus, quo signa statim ferè mitescant: exiguo autem temporis spatio pristinâ vi redire solent, et usum hujus remedii iteratum reposcunt; quo, ut res postulat, assiduè corpori nudato admoto, morbus in melius converti incipit, vel omninò disparet. Dum hæc fiunt, aqua frigida pro potu præberi potest, et si alvus astricta est, *submuriate hydrargyri* solvi debet. In tertio vel etiam in quarto morbi die, si corporis calor multùm supra gradum solitum intenditur, affusio frigida cum beneficio uti potest; quò citius autem eam in auxilium vocamus, eò felicior erit eventus. Cùm morbus provectior est, et calor non ita sævit, affusio potiùs tepida benè convenit; calorem quoque temperat, et sudorem sæpè elicit. Observandum quoque est mala signa, ut delirium, coma, tumores parotidum, nunquam post usum aquæ frigidæ superve-

nire;

nire; et tumores hydropici, si adsint, brevi solitis remediis evanescunt.

Nonnunquam hic morbus ita gravis est, et speciem tam malignam etiam ab initio exhibet, ut affusio frigida pessimos effectus ederet: hæc mali exempla summâ virium prostratione, efflorescentiâ cutis purpureâ, fœtore halitûs, ulceribus faucium nigris et serpentibus, et calore parùm aucto, cum pulsu admodum debili, satis insigniuntur.

FINIS